DE FEBRIUM COMITATARUM PATHOLOGICA CONDITIONE DISSERTATIO...

Antonio Fontolan

DE

FEBRIUM COMITATARUM

PATHOLOGICA CONDITIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE DOCTORIS INSIGNIA

IN C. R. PATAVINO ARCHIGYMNASIO CAPESSENDA

PUBLICE HABET

ANTONIUS FONTOLAN

PATAVINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXX X.

Plurima medicorum illustrium scripta sub Ausonio caelo et alibi elucubrata, paucorum annorum spatio, tam varias et inter se oppositas sententias de febrium pathologica conditione ediderunt, ut perdifficile sit meliorem seligere, et ad lectulos aegrotantium clinico more applicare. Plura etiam excogitata nostris hisce temporibus observavimus, quae medicos plane incertos fecere, num essentiales, an symptomaticae considerandae sint febres; quin immo remediorum actio hujus discriminis causa tam dubia remansit, ut nemo sit qui nunc intelligat quomodo febrifuga eadem virtute polleant quocumque modo febrium mutetur conditio. Quod si magnum adsit discrimen inter sententias scriptorum, quae ad febrium simplicium doctrinam spectant ubi simpliciores notae curriculum earumdem determinant; quae dicenda erunt de larvatarum sive comitatarum conditione, ubi larva febrilis multiplicia phaenomena exhibet, cujus causa interdum densa caligine obruitur? Hicce processus morbo-

sus nunc hypersthenica, nunc hyposthenica signa profest; levem irritationem non raro localem, aliquando universalem indicat; phlogosis indicia saepe ac saepius ante et post febrem observantur, quibus ambagibus haud certa atque absoluta therapia, minitante vitae periculo, institui potest. Neque credatis unquam, Professores sapientissimi, me humillimum candidatum animo praesumere inter tot tantosque viros meam afferre sententiam; sed tantum mihi concessum sit, precor, aliquot ideas ex praxi clinica decerptas aliorum observatis apponere, atque sapientiae vestrae submisse committere.

Comitatae febres juxta celebris Francisci Torti sententiam atque observationes sunt illae, quae etsi periodice intermittant, et quietis intervallum, sive, uti ajunt, apyrexiam habeant, tamen in paroxysmis periculoso quodam peculiari symptomate comitantur; quo infirmum in vitae periculum statim adducunt, et eidem perniciem minantur; qua definitione comitatarum aut perniciosarum nomen evidenter innotescit.

Harum febrium 15 praecipue varietatas in nosologica febrium distributione prof. Brera (1) enumerat, nimirum: 1.° algida, 2.° apoplectica, 3.°

(1) Prodromus Institutionum Medicinae Practicae etc. Patavii typis Seminarii 1822, 8.°

arthritica, 4.° cardiaca, 5.° cholerica, 6.° caeca, 7.° colica, 8.° diaphoretica, 9.° dysenterica, 10.° emetica, 11.° hydrophobica, 12.° petechizans, 13.° pleuritica, 14.° scorbutica, 15.° syncopalis, quae omnes aliorum Auctorum species comprehendunt sub nomine subcruentae, laethargicae, soporosae etc., diversimode designatas. Posita hac distributione nemo est qui non videat praecipuum symptoma in harum febrium decursu jugiter emergere, quod ex latente peculiari morboso processu in organo vel sistemate procedens, cujuscumque febris characterem pathognomonicum suppeditat. Exacta igitur Tortii definitione juxta formam recensenda, videamus quomodo pathologica conditio formae consona interpretata sit. Cl. Tortius comitatarum febrium symptomata alia a colliquatione derivat, alia a coagulatione; hicce Pathologorum humoristarum intelligendi modus multa quidem significare potest; sed si velimus in humorum crasi turbata totum comitatarum conditionem pathologicam reperire, pauca sane principia ad diagnosim instituendam haurire possumus. Rationem typi febrilis summopere interest investigare; dynamico-assimilativum momentum ante febrem, perdurante ipsa, et post ipsam perpendere; apyreetica intervalla diligenter examinare, et potissimum observare cujus indolis sint organicae laesiones inde ortae, et quam sympathiae, con-

sensus, vel antagonisam legem cum aliis organis et sistematibus servent. Arduum sane est haec momenta analysi recta definire, neque brevitas temporis mihi concessa accuratam investigationem permiuit. Verumtamen liceat generales ideas producere, ut saltem fundamenta diagnoseos praecipua, atque indicationes therapeuticas aliquo modo eruantur.

Comitatarum typus idem est ac ille febrium legitimarum simplicium, et ut plurimum tertianus exquisitus observatur, nisi febris ipsa ad sic dictam subcontinuam, vel subintrantem accedat, quo in casu tertianae duplices quidem exasperationes contingunt, sed perdifficile est illas sensibus percipere. Existit ergo in comitatis habitudo illa physio-pathologica formam morbi reproducendi atque temporis aequam proportionem servandi. Hicce typus intermissionem uti in legitimis, minime vero continuitatem continentem edit; intermissionis vero tempore silent omnia symptomata, et aeger obtinet levamen, immo etiam pluribus in perniciosis phaenomena adeo extinguuntur, ut difficile sit, eorum vestigia sequi, quod semper in legitimis contingit. Concludendum itaque est typi ratione habita comitatas cum legitimis facile confundi posse, nisi symptomata emergentia diligenter perpendantur. Animadvertendum tamen nonnullas perniciosas febres existere, quae etsi tertia

quoque die paroxysmum phaenomenis specificis edant, qui sudore universali vel locali eluduntur; tamen lassitudinem quandam et oppressionis sensum relinquit, ut intermissionem absolutam esse nequaquam affirmari possit. Remaneut etiam in aliquibus larvae febribs vestigia, praesertim si hujus symptomata eminentiora fuerint, neque apyrexiae proprie dictae characteres patent. Et revera juxta industrioris pathologiae principia intermittentes morbi nequaquam admittendi sunt; secus enim unum morbum in quacumque intermittentium febrium accessione haberemus. Quibus necesse est statuere, formam quidem intermittere quando morbi processus regularis fit et mitior, quod si violentior appareat, formae etiam oscillationes quaedam apparere debent. Hocce theorema certe ducit ad laesionis organicae magis vel minus profundae inquisitionem faciendam, qua comitatarum conditio clarius elucescat.

Ex dictis colligitur quam perniciosae febres comitatae legitimis intermittentibus ratione habita typi sint similes; et caussarum serie rite perpensa quae perniciosas producunt, observamus iisdem causis tam legitimas quam comitatas originem ducere. Est ergo nonnisi major symptomatum violentia, quae ratione habita typi hasce febres perniciosas reddit; complicationis vero ratione habita est processus quidam morbosus latens una cum

typo febrili conjunctus, ex quo phaenomena vitae periculum minitantia emergunt.

Sed quae conditio febrium simplicium in genere, et quod conditionis discrimen inter easdem et comitatas? Plurimi de hoc argumento plurima ediderunt, et in fastis medicorum non existit forsan morborum doctrina ambagibus plena quam Pyretologia sive sermo de febrium genesi et causa proxima. Systema sanguineum in febre affici multi asseruere, et in arteriarum pulsus mutatione fundamentum invenerunt; viscera abdominis nonnulli hepar praesertim et splenem aegrotare contenderunt, et obstructionibus horum viscerum post febres enatis theoria eorum innititur; sistema nervosum in febribus laborare excogitarunt multi, neque falsum posuere, quoniam via motricis status abnormis spasmata, et alia hujusmodi aeque ac convulsiones in stadio praesertim frigoris observanda occurrunt. Neotericorum Pyretologia quae magis proxima veritati videtur, quaeque meliori analysi phaenomena febrilia explicat, certe est Pyretologia eclectica a prof. Brera in decem propositiones divisa (1) cujus principia sequentia sunt. Considerandae sunt febres veluti nervosae affe-

(1) Vid. Jo. Bapt. Burserii de Kamlfeld, Institutiones Medicinae Practicae emendatas atque adauctas cura V. A. Brera, Vol. 1. pag. 141, Patavii typis Seminarii 1823, 8.°

ctiones convulsionibus persimiles quarum morbosa primaria conditio nervorum systema sympathicum obtinet. Localis affectio in febribus desumitur, et universalis actio nonnisi per irradiationem efficitur; quod certe probat genesim febris secundariae in processu humorum irritativo collocandam esse. Si hyposthenia vel hypersthenia adsit, hac non solum febris essentiam non constituunt, sed considerandus est status istiusmodi quasi complicatio accidentalis; et irritativa ipsa conditio ex prava assimilatione enata febribus ipsis per accidens colligatur.

Neque desunt in febribus simplicibus complicationis phlogisticae et adynamicae, quarum essentia fortasse comitatarum conditionem determinat. Non est hic locus haec principia fusius quo fieri potest febribus applicandi, neque tempus conceditur; possumus tamen hasce propositiones ex praxi deductas comitatis febribus apponere, ut melius phaenomena earumdem affectionum explicare possimus.

Francisci Tortii antea comitatarum definitionem attulimus, et vidimus eas periodice intermittere, uti febres simplices solent, sed comitatas peculiari periculoso symptomata declaravimus, quod vitae periculum infirmo minatur. Originem ergo trahunt ab iisdem causis, typum aequalem servant, stadia tria frigoris, caloris, sudoris percur-

runt, sed ab iisdem in peculiari periculoso symptomate discrepant. Inquirendum nunc est quis sit peculiaris morbosus processus, qui huic fero symptomati ansam praebet.

Periculosum symptoma sive larva febrilis, sub qua febris ipsa decurrit, organum aliquod vel systema generatim possidet; quod sub imperio systematis nervosi sympathici extat. Et ex gr. in cholerica, cardiaca, colica, emetica, dysenterica tubus gastro-entericus afficitur, qui plexu solari dominatur, et surculis nervi intercostalis quam plurimum dirigitur: in algida diaphoretica, et petechizante cutis organum spasmo afficitur, quod consensu cum canali alimentorum gaudens, mutationibus istius morbosis a nervo intercostali pendentibus afficitur; in apoplectica, scorbutica, et arthritica, affectio primaria a systemate sanguifero derivanda est, quod a nervo magno sympathico in suis functionibus influxum obtinet; et sic de aliis loquendo, larvatae omnes hoc modo derivari possunt, uti ex Clinica experientia constat. Larva igitur nonnisi febris simplicis complicatio considerari debet, a pathologica conditione systematis nervosi trisplanchnici omnino producta; aliud vero vel alterum symptoma quod dissimile in alia atque alia comitata febre observatur, originem suam ducere videtur ab aegrotantis dispositione ad morbum in omnibus diversa, unde potius unum quam

aliud organon afficitur. Atque ut melius hanc propositionem confirmemus, notandum est fere omnes infirmos febribus legitimis vexatos peculiare signum locale in stadiorum decursu demonstrare. Quod si haec febris ad perniciosam vergat, talisque fiat, locale exasperatur phaenomenon, et larvam febrilem constituit. Et re vera perniciosa apoplectica in illis fere semper evolvitur qui habitu apoplectico praediti sunt; arthritica generatim illos vexat qui habitum arthriticum offerunt; cholerica et colica observantur quando systema biliare incitatum est uti in illis qui habitu hepatico, et bilioso temperamento e natura donantur: et sic de reliquis.

Nos usque adhuc analogiam quamdam comitatarum cum febribus legitimis exposuimus, et ab influxu primario nervi sympathetici phaenomena febrilia derivavimus. Nunc restat, ut dynamicam conditionem explicemus, et videamus num comitatarum symptomata periculosa hypersthenica sint, an hyposthenica, an irritativa.

Febres perniciosas esse hyposthenicas et eum sic dictis adynamicis confundi posse, asserere non pauci celeberrimi viri, et virtute tonica incitanti corticis peruviani, inter febrifuga eminentiore primi, sententiam propriam confirmare potuerunt. Praeterea veritati consentaneum est febres hyposteniecas esse statuere; nam enta corticis peruviani

notitiam eursbantur ægri amaris vinosis ac spirituosis potionibus, et vulgus ipse affirmat hac curationis methodo febres non raro debellatas fuisse. Vitae irritabili et sensiferae hyposthenis laborentibus tribuerunt aliqui synptomata praecipua quibus stadia febrium designantur (1). Erasmus Darvvin nervorum torporem in stadio frigoris, incitamentum auctum vis sensiferae in stadio caloris posuit, et cel. Giannini neurosthenìam propriam aedificando diathesis transmigrationem ab hyposthenica ad hypersthenicam, brevi spatio quod intercedit inter stadium frigoris et caloris febrium, admisit. Hepato-splenicam conditionem phlogisticam in febribus admiserunt alii, gastro-

(1) Adoptant pour cet objet, *inquit clarissimus Alibert*, les divisions établies par le professeur Chaussier, nous considérerons les spasmes, les convulsions, les soubresauts, les tremblemens, le hoquet, le pouls fréquent, tendu, ou contracté, mol ou développé, la respiration precipitée ou rare et stertoreuse, l'occlusion des paupiéres, le coucher en supination, les taches noires, les gangrenes etc, la paralysie des membres, et sur tout des sphincters, comme le produit d'une augmentation ou d'une diminution excessive des principaux modes de la mobilité les insomnies, le delire, le stupeur de l'ame, l'affoiblissement de la memoire, le defaillances, les douleurs cardialgiques, l'obliteration de la vue, de l'odorat de l'ouie etc., comme des atteintes graves portées à la sensibilité. *Traité des fievres pernicienses intermittentes troisieme édition. Paris 1804.*

ceteritidem Broussais, angioitidis formam Contrastimulistae, sed hi omnes febres essentiales esse negarunt, et pro symptomaticis, sive secundariis, eas omnes habuerunt. Qui vero recta eum analysi irritationem nervosam sui generis in febribus considerandam esse cogitarunt, et spasmata et pulsuum frequentiam, calorem postea et sudorem, spasmo periodico jam soluto, verisimilitudine quadam explicare potuerunt. Exitus ipse febrium veritatem hanc demonstrat. Menses et annos periodicae febres perdurant, typum frequenter mutant, neque accessus characteres praecipuus amittunt. Interea digestionis functio summopere languet, prava ex hoc errore assimilatio redundat, congestiones humorum hinc inde enascuntur, eoque magis irritatio crescit, hepar, splen, mesenterii glandulae obstruuntur, moles viscerum abdominis augetur, secretiones et excretiones inde morbosae fiunt. Nisi primaria irritatio irritationes et febres secundarias gigneret, haberemus ne phaenomena irritativa, quae in febribus irritativis splanchnicis tota die, in agro Mantuano, in regionibus maritimis Aemiliae, et uno verbo, in regionibus palustribus obviis observantur?

Ita de perniciosis dicendum est cujus larva, sub qua occurrunt, nonnisi complicatio recensenda videtur. Nec certe in iis conditio phlogistica in uno vel alio organo evoluta admitti potest;

nam validioribus incitantibus remediis cedunt neque phlogosis characteres post febris extinctionem ultro apparent. Quod si ad alia principia sustinenda responderet aliquis corticem peruvianum, quo febres comitatae perniciosae fugantur, neque stimulante, neque deprimente virtute pollere, sed antiperiodicum remedium dumtaxat considerandum esse; oporteret prius indicare a qua dynamica conditione periodus febrilis originem suam repetat, et postea antiperiodici nomen illi ipsi tribuere.

Pauca haec exposui primum ut legibus academicis obtemperarem, deinde ut hocce argumentum magna consideratione dignum studiorum meorum in posterum quasi elementa sistat, quum scilicet observatione et experientia edoctus limites hujus disceptationis extendere mihi licebit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Usque dum nos latebunt notiones de remediorum compositione et decompositione in animali organismo, eorum pariter actio nos semper latebit.

II.

Phlogosis absoluta, legitima formae intermissionem non admittit.

III.

In morbis vis vitalis non sola laborat.

IV.

Non dantur morbi stricto sensu universales sub morbosi processus initio.